

Cum quo gradu stella quaelibet, uel planeta oritur uel occidit,
aut coelum mediat, certo inquirere.

CAPVT XXVIII.



SI labor tuus fuerit pro planetis habentibus latitudinem, & quorum loca in globo desideras, operare iuxta praecipuum capitis 19 circa hoc. Signum; deinde pro inueniendo gradu eclipticae, qui cooriatur uel cooccidat cum stella tali proposita, dispone primo globum ad elevationem poli tuae regionis, postea pro coortu, duc eandem stellam uel planetam ad contactum horizontis orientalis, & gradus eclipticae ibidem: globo sic fixe perseverante, inuentus, erit gradus cum quo talis stella uel planeta oritur. Pro occasu uero stellae uel planetae, dirige eandem stellam uel planetam ad contactum horizontis occidentalis, & gradus eclipticae in horizonte occidentali, globo sic perdurante, repertus erit gradus cum quo talis stella uel planeta occidit. Pro coeli autem mediatione, ducendus erit stellae uel planetae locus ad contactum armillae meridianae, & gradus eclipticae ibidem repertus, erit gradus cum quo talis stella uel planeta coelum mediat. Ex his inferitur, quod stella aliquando oritur ante gradum suum longitudinis, & aliquando post scilicet, quando habet latitudinem, & interdum cum eo, quando caret latitudine. Et similiter inuenitur aliquando, quod quaedam oritur ante gradum suum, & occidit post ipsum: & quaedam oritur post, & occidit ante, & quaedam oritur post, & etiam occidit post. Vnde quando Caput draconis Lunae fuerit in principio Arietis, & fuerit Luna in principio Cancris: quia ibi tunc Luna habet latitudinem septentrionalem maiorem scilicet 5 graduum: quia in uentre draconis oritur ipsa ante gradum suae longitudinis plus quam per tertiam partem horae, & occidit post gradum suum similiter. Et quando idem Caput draconis Lunae fuerit in principio Librae, & Luna in principio Capricorni: quia tunc Luna habet latitudinem meridionalem maximam 5 graduum, quia tunc iterum est in uentre per suum deferentem, orietur tunc Luna post gradum suum plus quam per tertiam partem horae, & occidit ante eum similiter. Adhuc maior diuersitas potest contingere in Venere & Marte, quoniam ipsi maiorem aliquando ab ecliptica latitudinem obtinebunt. Omnia dicta facilia sunt, ideo breuibus perstringere placuit, omissa etiam exemplari declaratione.

Distantiam Solis & stellarum à Zenith caputem siue regionis cuiuscunq; comperire.

CAPVT XXIX.



LEua primo uel deprime globum, mediante armilla meridiana iuxta latitudinem regionis tuae, & uolue eum sensim, donec locus Solis uel stellae cadat sub armillam meridianam. Postea numerabis gradus in eadem armilla, à Zenith horizontis uel regionis ad usq; stellam: quia tot gradibus stella eadem à Zenith horizontis elongatur. Si nunc cuilibet gradui distantiae 60. Italica miliaria, siue 15. alemanica communia tribueris: inuenies distantiam itineris ab initio habitationis propositae uersus meridiem (itineri recto progrediendo) quoad Sol meridiano tempore suprauerticem capitis proficiscentis stabit. Exemplo rem facilius accipies: Sit Sol in 20. gradu Sagittarij, quem gradum locabo subtus armillam meridianam, & eo sic stante, inuenio in armilla meridiana à loco Solis usq; ad Zenith horizontis gradus 73. ferè, distantiam Zenith capitis ciuitatis famatissimae Norimbergen, à centro corporis Solis eo die anni, quo Sol